

MENS. IVN.

AB INIT. COMM.

HVIVS ANNI

AN. MMVII

AN. XXXXXV

LIB. II

LATINITAS

COMMENTARII LINGVAE LATINAE EXCOLENDAE PROVEHENDAE

QVARTO QVOQVE MENSE E CIVITATE VATICANA PRODEVNTES

CONIECTVRA LATINAE POESIS METRICA RATIONE LEGENDAE TEMPORVM NOSTRORVM EXPERIENTIA MVSICA CONSIDERATA

Experientiam transferre inter diversas disciplinas est negotium fecundum, quia eiusmodi opera certae agnitiones existimatione prospectibus novis praesentantur et inopinati earum aspectus saepe inveniuntur. In scripto sequenti loquar de verso Latino metiendo ac declamando, mea musica experientia considerata.

Praxis usualis versus Latini legendi accipit amissionem sensus modi sermonis tamquam ineluctabilem et igitur substitutionem accentuum modi accentibus vehementiae: “Títýre tu patuláe recubáns...”. Ne loquar de discrepantia grammatica una cum violatione legis barytonesis¹, assumpta pro lege metri (“patuláe” et “recubáns” verba sunt quae in lingua Latina non exstant), certe recitatio Latinae poesis per accentus vehementiae mortifere molesta est. Contra, translatio musicae experientiae temporum nostrorum in recitationem versus Latini mihi videtur suadere ut novissimas concipiam coniecturas ad auditionis delectationem rursus inveniendam ipsasque pervestigationis saltem dignas.

Quaestio recuperandi antiquam rationem canendi ad linguam Latinam tantum non attinet; in ordine musico quaestio aperta est omnibus musicis antecedentibus inventionem grammophoni; “praxis executoria” enim pars est musicologicae disciplinae. Mutationes pares iis phoneticis etiam in musica evenerunt, et forsitan velociores. Quoniam, alia ratione quam in poesi, quae mente legi potest, necesse est voce aut instrumentis canere, immo etiam maioris momenti est ut codex executivus usitatus cohaereat cum codice compositorio: si hoc evenit, communicatio maxima est et maxima est perspicuitas; si minus, communicatio minuit, et una cum ea minuit facultas intellegendi atque taedium subvenit. Nullus severus musicus credit se, sicut antiquis temporibus, aetate nostra canere posse aut personare; si tamen, ut evenit, ad usum transferens theori-

¹ Lex barytonesis: in lingua Latina accentus numquam cecidit in ultima syllaba.

cas cantus cognitiones, et communicatio accrescit et, cum ista, facultas delectationis musicarum execularum, aequum est suspicari eum quodammodo appropinquavisse ad cantum nativum. Transitio ex ratione acuendi musicas praesertim accentibus modi, propria saeculorum XVI, XVII et XVIII, ad rationem acuendi sonitus praesertim accentibus vehementiae propriam usus musicae hodiernae, similis est mutationi quae facta est in metricis legibus linguae Latinae. Mutatis mutandis, etiam in recitatione Latinae poesis mihi videtur adhiberi posse rationes versus metiendi, ut restituatur nobis possibilitas et facilis intellegentiae carminum et delectationis.

Tractare velim de facultate intellegendi. Sicut evenit in renovatione antiquae musicae, etiam in restitutione locutionis linguae Latinae quaestio maxima non est ut tamquam maiores loquamur, sed ut recuperemus formam modi loquendi Latinam linguam. Augustinus, suadendo oratori sacro viris imperitis linguae Latinae loquenti ut *ossum* potius quam *os* dicerent ne ista syllaba non ab eo quod sunt *ossa*, sed ab eo quod sunt *ora* intellegeretur; (ubi Afrorum aures de correptione vocalium vel productione non iudicabant)² sinit nos comprehendere qualis momenti esset modus enuntiandi vocales in sermone cotidiano et veniunt in mentem facetiae de Italicis qui, Anglice hodie loquentes cum Anglicis, non comprehendunt aut non observant discrepantiam inter verba dissimilia. Restitutio et usurpatio rationis enuntiandi vocales maximi momenti sunt ad immediate textum poeticum intellegendum, et ideo ad eum prorsus gustandum, priusquam ad eius metrum exprimendum.

In musica, accentus vehementiae et accentus modi soluti exstant. In musica vocali, praecipue in polyphonia saeculorum XVI et XVII, consueta est collocatio accentuum vehementiae in temporibus debilibus. Conferatur motetus tribus vocibus “*Vox sanguinis fratris tui*” (Im. I), auctore Gregorio Aichinger³, in qua sensus tragicus brevissimi textus – “*Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*”⁴ – augetur discordia rhythmica accentuum vehementiae verborum “**sanguinis**”, “**me**” et “**terra**” quae collocata sunt in temporibus fortibus numeri, et accentuum verborum “**fratris**”, “**tui**” et “**clamat**” positorum in temporibus debilibus.

Conatus perveniendi ad probabilem restitutionem modi versuum Latinorum, succedere poterit per tres gradus appropinquationis. Primus, et fortasse ex omnibus maxime pervius, est simpliciter expri-

² Cfr AVGVSTINVS, *De doctrina christiana* IV, 9, 24.

³ AICHINGER Gregor, Regina Castra (Regensburg), 1564-Augusta Vindelicorum (Augsburg), 1628.

⁴ *Genesis*, 4, 10.

Vox, vox san-gui-nis fra-tris tu-i, vox
 Vox, vox san-gui-nis fra-tris tu-i, vox san-gui-
 Vox san-gui-nis fra-tris tu-i, vox san-gui-
 san-gui-nis fra-tris tu-i cla-mat ad me...
 nis fra-tris tu-i cla-mat ad me, cla-mat ad me...
 nis fra-tris tu-i cla-mat ad me, cla-mat ad me..

Im. I. GREGORIUS AICHINGER (1564 -1628), *Vox sanguinis fratris tui*.

mere tempus longum aut breve vocalium sicut in lingua Finnica, in qua vocales simplices exprimunt sonos breves, dum geminatae exprimunt sonos longos; e.g.: “tuli” (focus) et “tuuli” (ventus)⁵.

**Tiityre tuu patulaae recubaans suub teégmíne faágii
 siilueéstreem tenuui muúsaam meditaáris aueénaa:
 noos patriaae fiíniis eet duúlcia líinquimus aárua.
 noos paátriaam fugimuus: tuu, Tiityre, leéntus in uúmbraa
 foormoósaam resonaáre docees Amaryýllida siíluuaas.**

Existimavi accentum ponendum esse in secunda vocali geminata quae est in syllaba quae fert accentum verbi; in cantu, enim, effectus simplicitatis in sonis augendis, quos in evidentia proferre oportet, obtinetur leviter inflando vocem. Ut autem apparetur possibile systema scripturae, aptum ad veram lectionem indicandam etiam lectori imperito, oportet ut alia investigatione quaeratur.

In superiore exemplo aliquae syllabae, quarum vocales geminatae sunt, longae sunt positione. Hoc in memoriam mihi revocat quandam naturam cantus, quo continuitas sonora consequitur, inter alia, produ-

⁵ MALMBERG, Bertil, *Manuale di fonetica*, Bologna, Il Mulino, 1974, p. 225 (Originalis editio: *Manuel de phonétique générale*, Paris, Editions A. & J. Picard, 1974).

cendo vocalem, cum ista vocalis secuta sit a pluribus consonantibus aut consonante geminata. Nicolaus Vaccaj, in suo claro libro qui inscribitur *Methodus practica cantus Italici domestici in xv lectiones distributa...*⁶ fassus est: “Divisio syllabarum in hac prima lectione se eripit a consuetudine, ut notio modi dicendi, quam maxime, in cantu detur; quomodo valor unius aut plurium notarum per vocalem consummetur, et quomodo consonans cum syllaba sequenti coniungatur...”. Ecce primi numeri cantiunculae⁷:

Ma - nca so - lle - ci - ta più de - ll' u - sa - to,
a - nco - rché s' a - gi - ti co - n lie - ve fia - to...

Sicut constat, recitatio Latina inflata erat et igitur formas habebat mutuatas a cantu. Ideo, experientia musica aetatis nostrae considerata, locus Ciceronis de pronuntiatione vocalium [i] et [o] in verbis quae incipiunt per [s] aut [f] (sapiens, felix) videtur amittere abstractionem prolationis ut accipiat sensum definitum eo magis quod distinguit aperte inter naturam et conventionem: “Quid vero elegantius quod non fit natura sed quodam instituto?”⁸.

Lectio secundum modum facilius fieri potest accentus traditos subiciendo vocalibus longis et brevibus:

Tityre, tuu pátulaae récubaans suub teégmine faágii
siilueéstreem ténuii muúsaam meditaáris aueénaa:
noos pátriaae fiíniis eet duúlcia linquimus aárúa.
noos pátriaam fúgimuus: tuu, Tityre, leéntus in uúmbraa
foormoósaam resonaáre dócees Amaryýllida siiluaas.

⁶ VACCAJ, Nicola (1790-1848), *Metodo pratico di canto italiano per camera in 15 lezioni...*, editio moderna cura Michaelis ASPINALL, Augustae Taurinorum, Zedde, 1999, p. 3: “La divisione delle sillabe in questa prima lezione è fuori dell’ordinario per dare più che è possibile un’idea della maniera di pronunciare cantando; come si debba consumare colla vocale l’intero valore di una o più note, ed unire la consonante con la sillaba susseguente...”.

⁷ Italice: “arietta”.

⁸ CICERO M. Tullius, *Orator ad M. Brutum*, 159.

Quoquo modo necesse est dare recitationi rhythmum regularem, et pedem propter hoc ipsum percutere utile esse potest.

Lectio secundum modum commodior est illi qui musicam legere valet. Musicus solet verba canere unicuique syllabae temporis momentum, congrua figura musica expressum, attribuens; ex quo consequitur ut ei facile sit legere sine modulatione textum, cui superpositae sint figurae opportuni momenti, tribuens omni syllabae tempus figura congruenti expressum. Si ergo, pro signis [-] et [∪] adhibitis ad syllabas longas et breves exprimendas, figurae musicae eiusdem valoris adoptantur – e.g. “minima” [J] et “semiminima” [JJ] – facile fit recitare versus Latinos et tribuere eis vera temporis momenta libere a collocatione vocum acutarum verborum.

Ti-ty-re, tu pa-tu-lae re-cu-bans sub teg-mi-ne fa-gi
 sil-ue-strem te-nu-i mu-sam me-di-ta-ris a-ue-na:
 nos pa-tri-ae fi-nis et dul-ci-a lin-quimus ar-ua.
 nos pa-tri-am fu-gi-mus: tu, Ti-ty-re, len-tus in um-bra
 for-mo-sam re-so-na-re do-ces A-ma-ryl-li-da sil-uas.

Si nunc textus poeticus Latinus examinatur normis iudicandi adhibitis in analysi textuum musicorum vocalium⁹, significationes quae percipiuntur mihi fecundiores videntur:


a) valet in poesi quod in musica valet, id est: densitas momentorum brevium fert sensum concitationis, dum repetitio longorum fert sensum relaxationis;

b) collocatio vocis acutae verbi in tempore debili pedis, sicut in temporibus debilibus musici numeri, id est in momento inopinato, in evidentiam profert verbum ipsum;

c) collocatio inconcinna accentuum efficere potest ut cellulae rhythmicae nascentur dissimiles a cellulis pedum in quibus sitae sunt, sicut accidit in cantiuncula Gregorii Aichinger.

⁹ Audeo indicare commentationem meam quae attinet ad formam musicam Italice dictam “recitativo” in pagina Interretis: <http://www.maurouberti.it/recithirmes/recithirmes.html>.

Componendo modo opportuno rhythmum versus et significatio- nem, indicia possunt percipi utilia interpretationi pronuntiantis, ita ut toto animo poeta altius cohaereat. In primo versu eclogae relatae, e.g., voces acutae verborum “**patulae**” et “**recubans**” cadunt in tempore debili pedis et mutatio loci accentus in lucem profert comam fagi patu- lam esse Tityrumque requiescere, dum series trium longarum syllaba- rum “**recubans sub tegmine**” (aut, si praefertur, “**recubaans suub teégmine**”), et, post aliquanto, illa duarum longarum verbi “**fagi**” (aut, si praefertur, “**faágii**”) suadent recitationem molliter exprimentem sen- sum quietis. Voces acutae verborum “**patriae finis**” et “**patriam fugi- mus**” tertii et quarti versus, positae in temporibus debilibus pedum congruentium, iterum dicunt, etiam sub aspectu rhythmico, “repetitio- nem” in qua conditur structura rhetorica sermonis. Series accentuum syllabarum “**nare doces**” verborum “**resonare doces**” interrumpit ordi- nem rhythmici binarii, efficiens ut rhythmus ternarius choreae oriatur postquam ampla formositas Amaryllidis (sicut ex recitatione videtur, Amaryllis copiosa mulier, non exilis puella) expressa est tribus longis syllabis verbi “**formosam**” (aut, si praefertur, “**foormoósaam**”).



Analysis textus poetici complectitur etiam melodiam implicitam in scriptura; non forte dicit Cicero: “Est autem etiam in dicendo quidam cantus obscurior”¹⁰. Una ex proprietatibus linguae poeticae est arte coniungere notiones artificio praenuntiandi quod exprimitur verbis plura comprehendentibus, anticipando adiectiva, adverbia aut comple- menta iis adlata. Exemplum Vergilii relatam fere omne constructum est hac ratione:

Tityre, tu **patulae** recubans sub tegmine **fagi**

silvestrem *tenui musam* meditaris *auena*:

nos patriae finis et **dulcia** linquimus **arua**.

nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra


formosam *resonare doces* **Amaryllida** *silvas*.

¹⁰ CICERO M. Tullius, *op. cit.*, 57.

Pronuntiatio alligat semper sonum vocis; si hoc non consideratur, lectio efficitur aspera, quia postulat continuam exercitationem mentis ad partes sermonis colligandas, quae tantum congruentiis grammaticis coniungi videntur. Si, contra, congruentiae grammaticae putantur in loquela respondere accentuum congruentiis et cura est eas observare, oratio efficitur manifesta, comprehensibilis et, praecipue, delectabilis. Oportet in primis ut vox sit ea quae in textu aperte interpunctione repraesentatur, sed postea ea quae una comprehenditur structura rhetorica sermonis. Signa interpunctionis notae symbolicae sunt decursus vocis in suspensione (virgula), in affirmatione (punctum), in exclamatione (signum exclamationis) et in interrogatione (signum interrogationis). Ipsae sonorae notae sunt ex scientia quae nostra aetate “phonetica” appellatur. Congruentia accentuum igitur intellegenda est praesertim tamquam congruentia voluntatum exprimendi et non tantum ut congruentia sonora altitudinis vocis. In Vergilii exemplo sub examine, congruentia inter verba “dulcia” et “arva” tertii versus spectat ad significationem exclamativam duarum vocum descendentium.

Ut de rebus nuperrime dictis exemplum ponam, proferam descriptionem possibilis recitationis quinque versuum Vergilii (cfr im. II). Scriptura altitudinis vocis una cum verbis refertur ad notas dictas Dasianas IX saeculi¹¹.

Al-*le* lu-*ll* ia-*ll*. Lau-*da* te-*ll* Do-*mi*/num-*ll* de-*ll* cae-*ll* lis-*ll*.



Cae-*ll* cae-*ll* lo-*ll* rum-*ll* lau-*ll* da-*ll* te-*ll* De-*ll* um-*ll*.

¹¹ ANONYMVS, *Musica Enchiridis*, cura HANS SCHMID, Musica et scholica enchiridis una cum aliquibus tractatulis adiunctis, Bayerische Akademie der Wissenschaften, Veröffentlichungen der Musikhistorischen Kommission, Band 3 (München: Bayerische Akademie der Wissenschaften; C. H. Beck, 1981), 1-59. Fons: Thesaurus Musicarum Latinarum, School of Music, Indiana University, Bloomington, IN 47405 http://www.music.indiana.edu/tml/9th-11th/MUSENCI_03GF.gif.

	pa-						faá - gii
	tuu	tu - lae	re-				
Tii-			cu-	baans suub	teég-		
ty - re					mi- ne		

	te-						ueé-
	ueé- stream		muú-	saam	taá- ris		
siil -		nu- ii		me- di-	a-		
							naa:

							aár -
	pa-	fí-		duúl-	lín- qui-		
noos	tri- aae		eet	ci- a	mus		
		niis					ua.

	pa-	fu-					
noos				Tii- ty- re,			
			tuu,				
	tri- aam	gi- muus:			leén- tus	uúm- braa	
					in		

	moó-					ryíl-	
			do- cees	A- ma-		siíl-	
foor-		naá- re			li- da		
	saam	re- so-					uaas.

Im. II. Descriptio possibilis recitationis quinque versuum Vergilii.

Adsunt ceterum indicia caesurarum, quae, etsi in hoc sermone considerantur rei propositae non necessariae, habent elementum formale praecipuae gravitatis. Quod attinet ad quaestiones quae referuntur ad “actionem”, magni momenti est quod pleraque adiectiva, quae substantivum ad quod pertinent anticipant (“patulae” primi versus, “tenui” secundi, “dulcia” tertii et, porro, verbum “doces” quarti) ante caesuram incidunt. Quae quidem autem non conspicitur tantum ut proprietas rhythmica versus, sed etiam ut proprietas rhetorica, quae confert significationem recitationi.

MAVRVS VBERTI